

qui illius nomine vehementi oratione ad pacem cum Cæsare
ineundam Patres est cohortatus : ea firmata , ut arctiori fœ-
dere cum Carolo , & Henrico se conjungerent , multis ratio-
nibus suasit . Demum in Gallos movere Rempublicam est co-
natus , ut adventanti in Italiam Regi sociis armis cum Cæsa-
re , atque Henrico obviam iret . His postulatis decreto Sena-
tus responsum est : quod ad pacem cum Cæsare ineundam at-
tineret , nihil ea re magis Rempublicam optare ; quod de no-
vo fœdere adjicebatur , nisi prius cum Cæsare rebus composi-
tis , perfici non posse . Tandem quod Respublica adversus Gal-
los amicos , ac socios arma sumat , id a veteri majorum in-
stituto , qui amicitias , ac fœdera semper sancte coluissent ,
vehementer abhorrere : illud summis votis exoptasse ; id mo-
do cupere , ut semotis odiis , ac bellorum tumultibus repref-
sis , quibus Christiana Respublica miserandum in modum dis-
cerpitur , Regum potentissimorum animi in mutuam concor-
diā , pacemque conspirent : Pontificem per literas ea in re
ex animo a se cohortatum , ut omnes industriae , atque auctori-
tatis nervos intenderet , quo divinum hoc pacis bonum orbi
Christiano illucesceret , gravissimum hoc negotium suscepisse ;
nuntios designasse , qui Cæsarem , Galliæ , Angliæque Reges
hortentur , suadeant , moneant , ut restinctis , odiis , ac simul-
tatibus ablatis , ab armis abstineant , eaque in immanissimos
fidei , ac religionis hostes convertant . Quis enim neget huc
omnium oculos obverti , cum Turcas anno elapso Albam græ-
cam expugnasse , modo Rhodum invasisse animadverterint ?
Christianæque Reipublicæ præsidium pace niti non fateatur ?
cujus quis exitus futurus sit , Rempublicam valde esse solici-
tam ; ut nunc , non de armorum apparatu instruendo ; sed po-
tius de communi inter Principes pace firmando agendum vi-
deatur . Paucis postea diebus interjectis , cum Hieronymus
Adurnus extraordinarius Cæsaris Legatus Venetias appulisset ,
iii. idus decembris una cum ordinario ejusdem , atque Angliæ
Regis Oratoribus Principem , ac Collegii Patres adiit ; non
nullisque præmissis , quæ ad benevolentiam , propensamque Im-
peratoris erga Rempublicam voluntatem significandam specta-
rent , in hanc sententiam est loquutus .

*Qui Cæsaris mentem , atque animum norunt , ii testari pos-
sunt ,*

*Venetorum
responſio.*

*Hieronymus
Adurni ,
Cæsaris ora-
toris , oratio.*

1522